









1. Reusner, Jeremias: Delibationem captivitatis et post-
liminii submittet. . . 1645.
2. Schreiber, Johann: Decades duae conclusionum theore-
ticarum in jure tam civili quam Saxone hodie
maxime controversarum quaestionum. 1645.
3. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio I de generalibus et bonorum possessioni hae. 1645.
4. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio IV de successione ascendentium. 1645.
5. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio III de successione decendentium. 1645.
6. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio II de successione conjugum. 1645.
7. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato dispu-
tatio V de successione collateralium. 1645.
8. Strauch, Augustinus: Successionum ab intestato disputatio
VIII de successione fidei. 1645.
9. Suerus, Gualfrid: Conclusiones haec legitimas ex libro
Fursi. desumptas objiciet. . . 1645.

10. Taubmann, Christian : De exceptionibus peremptoriis
1645
11. Coselius de Peglinovez, ^{Henricus} Henricus : Enodatio VII, VIII, IX
X. tit. pand. postremi habebitur . . . 1646.
12. Coselius de Peglinovez, Henricus : Enodatio leg. XI. XII.
tit. pand. postremi . . . habebitur . . . 1646.
13. Coselius de Peglinovez, Henricus : Enodationem leg.
XIII, XIV. tit. pand. postremi . . . subiiciet . . . 1646.
2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.
14. Coselius de Peglinovez, Henricus : Enodatio rubricae
leg. I. II. III. tit. pand. postremi . . . habebitur . . . 1646.
15. Coselius de Peglinovez, Henricus : Enodatio leg. IV. V.
tit. pand. postremi . . . habebitur . . . 1646.
16. Spurling, Johann : Aphorismi physici de igne . . . 1646.
17. Suerus, Gumpfried : De concursu et cumulatione
actionum . . . 1646.
18. Coselius de Peglinovez, Henricus : Enodationem leg. XIX.
XX. tit. pand. postremi . . . subiiciet . . . 1647.
19. Coselius de Peglinovez, Henricus : Enodationem leg. XVIII.
XVIII. tit. postremi . . . subiiciet . . . 1647.

20. Coselius de Teglinovez, Henricus: Inodationem leg. 88.
 XVI: t. 7. pand. postremi. . . proponet . . . 1647.
21. Coselius de Teglinovez Henricus: Inodationem leg.
 XXI. et. XXII. t. 7. pand. postremi. . . subjiciet. . . 1647.
22. Anstett, Joh. Andreas: Sepultura veterum. Sive
 de antiquis ritibus sepulchralibus, Romanorum,
 Græcorum, Judæorum et Christianorum. Disputatio I.
 1647.
23. Reusner, Ferminus: De notariis eorumque instrum.
 mentis 1647. 2 Exempl.
24. Reusner, Ferminus: De jure retentionis. 1647.
25. Suerus, Gottfried: Privilegiorum militarium
 solibationum . . . placidae et unicee ventita-
 liqui sistot. 1647.
~~Suerus - Neger~~ 1647.
26. Suerus, Gottfried: De reconventiones. 1647.
27. Taubman, Christian: De peculio. 1647. 2 Exempl.
 Hermannus, Hilarius u. Hermann, Friedrich?
28. ~~Taubman, Christian~~: De conceptuum concep-
 tibus seu nationibus secundis. 1647.
29. Wacken, Christophor: De juramentis. 1647.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



639.

u. 41.
24

SEPULTURA VETERUM.

sive

DE ANTIQVIS RITIBUS SE-
PULCHRALIBUS,

Romanorum, Græcorum,
Judæorum & Christianorum,
DISPUTATIO PRIMA.

Quam

D. O. M. A.

Preside


M. JOHANNÉ ANDREA QVENSTEDT.
QVEDL. FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTO,

Publicè ventilandam proponit

PAULUS HORNIGIUS, Lipsiensis.

Ad diem 15. Decembr. horis antemeridian.

In Auditorio minori.



WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ typographicâ JOHANNIS HAKEN.

ANNO M. DC. XLVII.

*Achilles Hüpka Mr.
St. j 659. m. Jan.*





IN NOMINE JESU!

CAPUT I.

Sepultura quando cœperit, unde orta,
& quis ejus finis.

DEfunctorum corpora terræ inferri ac humari, institutum est antiquissimum, usitatum semper in populo DEI, servatum à Romanis & Atheniensibus, Græcisque cæteris planè olim, ac in Christianâ Ecclesia perpetuo usu receptum. Memoratur Abraham fidelis seminis serus Pater sepeliisse Sarah uxorem suam in spelunca agri juxta urbem Hebron, ab Hephronè Chetæo empta in sepulchri possessionem *Gen. XXIII. 19.* Ibidem postdeinceps depositi post fata sunt Abraham *Gen. XXV. 19.* Isaac, ut ex *Gen. XXXV. 29.* colligi haut obscure potest. Jacob *Gen. L. 13.* quemadmodum adhuc vivens procuraverat *Gen. XLVII. 30.* ibidem & Adamum *Hieronymus in Quæst. Hebraicis in c. Ebron caus. 13. q. 2.* sepultum esse asserit, cui sententiæ adhæret *Thomas Angelus in Cap. 23. Gen.* plerisque veteribus, Parentem humani generis circa montem Calvariæ, in quo Salus nostra crucem passa est, non sine ingenti mysterio reconditum esse, affirmantibus, teste *Pererio in Gen. cap. 23. disp. 1. num. 22.* & *Bellarmino de amissione gratiæ & statu peccati lib. III. cap. 12.* Duodecim Patriarcharum monumenta Sichemis fuisse testatur modò dictus sanctissimus Ecclesiæ Doctor *Hieronymus*, dicit enim in *Epitaphio Paula*, eam è Sichem divertentem, vidisse duodecim Patriarcharum sepulchra.

1.
Sepultura
antiquitas.

A 2

Davidis

Davidis Regum Vatumq; sacrorum maximi sepulchrum
adhuc post Christi resurrectionem ostensum fuit, si *An-*
dreæ Riveto fides in *Gen. cap. III. Exerc: 39*, id affirmanti.
Porro, Gentiū victorē Romanū populū olim ab ortu Ur-
bis defuncta corpora humo condere consuevisse, illud ar-
gumento esse ait *Alexander ab Alexandro Genialium Dierū*
lib: I II. cap. 2. quod Numæ Pompilii corpus in arca lapi-
dea post multa secula à Cneo Terentio in janiculo inven-
tum vetustissimi autores tradant. Xenophon Musam
quem vocant Atticā ob sermonis suavitatem lib: V III.
ῥαδίας introducit Cyrum morti vicinū ita ad suos per-
orantem: *Mei pueri, cum decessero, nolite neque in auro neq;*
in argento neq; in alio aliquo lapide collocare corpus meum, sed
illud terræ reddite quamprimum, quid enim hac re beatius,
quàm terræ misceri, quæ pulcra omnia bona gignit & nutrit.
in quem locum digitum intendens Romani eloquii prin-
ceps Tullius lib: II de LL. *Ac mihi quidem, inquit, antiquis-*
simum sepulturae genus id fuisse videtur, quo apud Xenophon-
tem Cyrus uritur. Redditur enim terræ corpus, & ita locatum
ac situm, quasi operimento matris obducitur. Eodemq; ritu in
eo sepulchro, non procul à fontis arā regem nostrum Numam
conditum esse accepimus: gentemq; Corneliam usq; ad memori-
am nostram hac sepulturae scimus usam. Sepulchro Cyri, qui
à Medis ad Persas Imperium transtulit, hoc inscriptum fu-
isse ferunt Epitaphium:

Vir quicumq; es & undecumq; advenis,
(Neq; enim te adventurum ignoravi.) Ego sum
Cyrus, qui Persis imperium constitui: pusillum
Hoc terræ, quo meum tegitur corpus, mihi ne invideas.

Athenienses jam inde à Cecropis, primi ipsorum regis
tempore corpora functorum terrā condidisse, autor est
Cicero loco laudato, ipsumque Cecropem *Athenis in Mi-*

nervio

nervio terra mandatum ex Antiocho refert Arnobius (quem Lipsius Epist. Centur. 1. Epistol. 42. post Tertullianū inter sacros scriptores doctissimum vocat) libr. VI. advers. gentes. Christiani ab ipsis usque Ecclesiae natalibus morem terrā humandi cadavera servarunt constantissimē, quod cum nemini, qui Ecclesiasticam historiam primoribus tantum labris gustavit, ignorum esse possit, probatione nulla indiget. Veterem & meliorem consuetudinem humandi frequentamus inquit Minutius Felix in Octavio, qui Dialogus perperam septem libris Arnobii contra Gentes veluti octavus adjungi solebat, monente Bellarmino de Scriptor: Eccles: ad an. 206. in Min. Fel: Tanti a. majores nostri fecere sepulturam, ut ejus causa, sicut ad pauperes alendos, aut ad captivos redimendos vasa Ecclesiae etiam initiata conflari, aut vendi licite existimaverint, referente S. Ambrosio de Officiis libro II. cap. 28. Quae verò occasio & finis moris hujus introducendi fuerit, ut de mortuorum corpora humo tegerentur, operæ pretium erit, inquirere. Moschion, ut refert Hugo Grotius de jure Belli ac Pacis Lib. II. cap. XIX. num. 2. existimat occasionem datam ex gigantea feritate mandendi homines, cujus abolitæ signum sepulturam. Rectius dicitur ipsam naturæ humanæ conditionem admonuisse homines, ut corpus exanime terræ, unde ortum traxit, redderent. Et sic sponte solverent debitum, quod alioqui vel ab invitis repetit natura. Ita enim edixerat Deus Adamo Gen. III. 19. Terra es & in terram reverteris. Ex quo desumptum illud Eccles: XII. 9. Redibit pulvis in terram, quemadmodum fuerat. Hinc pia antiquitas; Terra es, terram geris, terram teris, in terram converteris. Rabbini hac de re ita pro more loquuntur, ut inquit Besoldus Consideratione Politica de vita & morte lib. III. cap. 1. Corpus lin-

II. Sepultura causa finales.

I.

II.

quitur in potestate Dæmonis ; de quo dictum est in
Scriptura ; Terram comedas omnibus diebus. & alibi :
Pulvis terræ panis ejus. Iobus veræ patientiæ vivum ex-
emplar, cap. I. v. 12. *Nudus egressus sum*, inquit, *ex*
utero matris meæ (qui תחתית ארץ *infima partes ter-*
ra, ima terra, vocatur à Davide Psalm. CXXXIX, 15.)
Et nudus revertar illuc, non in uterum maternum,
sed in terram, quæ omnium nostrum mater est, Eccles.
XL. 1. Hæc enim sinu suo corpus nostrum excipit & of-
fa nostra complexu suo custodit redditura depositum
quod servandum acceperat, in magno illo Die Domini
& Resurrectionis omnium. Unde *Gregorius Nazianze-*
nus, qui post Johannem Evangelistam primus Theologi
nomine salutatus est, *διὰ φέας bis sepultos* homines ap-
pellat, quod primum in alvo matris tecti, & quasi se-
pulti jaceant, antequam in hanc vitam nascantur : de-
inde in alvo terræ lateant donec ad vitam æternam re-
suscitentur, teste *B. Gerhardo*, Avunculo meo deside-
ratissimo *Loc. Theol. VIII de Morte num. 80.* Optimè
etiam hac de re philosophati sunt sapientiores Ethnici :
sic enim *Euripides*, cujus singulos versus singula testi-
monia putat *Cicero lib. XVI. Epist. Famil. Ep. 8. ex Perso-*
na Thesei iu Supplicibus :

Jam finite terra mortuos gremio tegi :

Res unde quæq; sumserat primordium

Eò recipitur : spiritus cælo redit

Corpusq; terra : jure nec enim mancupi,

Sed brevis ad ævi tempus utendum datur :

Mox terra repetit ipsa quod nutriveras.

Inde Cicero ex Euripidis Hypsipyle :

Reddenda terra terra.

Simi-

Similiter Lucretius de terra omnia suo sinu gremioque
receptante lib. V.

Omni parens eadem rerum est commune sepulchrum.

Vetus etiam & dignus suo autore versiculus est:

Cum fex, cum limus, cum res vilissima simus,

Vnde superbimus, ad terram terra redimus.

Ortus itaque nostri principium, vitæque finis, limus
& cinis, perpetuum humilitatis, propriæ Christia-
norum virtutis, memoriale esse debet. Ex eo enim pa-
tescit vanitas & inanitas nostra. Et quàm nihil naturâ si-
mus, apparet in ortu & interitu. *Heraclitus* Philoso-
phus Ephesius *σποτεινός* cognominatus, ob styli affecta-
tam obscuritatem, omnia ex igne constare opinatus
est, unde voluit idem, ut subito post mortem corpora
humana combustionem darentur, ut ita ad suum redi-
rent principium, referente *Servio* vetusto & optimo
Grammatico in lib. XI. *Æneid.* Verum à Spiritu DEI
rectius edocti, non de igne, sed de terra summum
Opificem corpus nostrum formasse, ac proinde vel
secundum ipsam illam regulam *Heracliti*, (si aliun-
dè id non constaret) in terram reverti debere, ex qua
sumptum est, norunt. *Democritum* in spem revivi-
scendi corpora adservanda docuisse tradit *Plinius* libr.
VII. cap. 55. His verbis ipsum irridens; *Similis est de asser-*
vandis corporibus hominum est reviviscendis promissa à De-
mocrito vanitas, qui non revixit ipse. Hoc ipso facto tamen
suo, ostenderunt Gentiles non planè oblitteratum esse in
se, Immortalitatis, ad quam homo à DEO fuit conditus,
sensum. Eleganter hac de re differit *Julius Caesar Scaliger*
ἀνθρώπων ἡρώων κοσμήτωρ καὶ ποιητῶν θεώτατος, *Poetices*
libro III. cap. 20. Verba ejus hinc meritò legenda, subjicio:
Sunt cognata nobis semina quadam immortalitatis: cujus adeo
appe-

III.

appetentes sumus, ut & sepultura prospiciamus: & nolimus
 cadaver nostrum malè haberi. Et post pauca; Humanum
 verò ingenium, quod animæ nostræ vis est, quum se sciat immor-
 tale, optat illud quoq;, ut corpus ipsum & comes & domicili-
 um suum, quoad fieri possit, eadem felicitate perfruatur. Æ-
 dificat idcirco Pyramidas, eiq; ita condito imponit, ut si non u-
 niversa temporum spatia aquare possit, aliqua tamen quàm
 maximè longinqua superet. Hæc ille. Christiani defun-
 ctorū corpora honestè terrā recondunt, partim ideò, ut
 docemur in Scholis Theologorū, quia fuerunt membra
 Christi, *Eph. V. 30.* templa & habitacula Spiritus S. *I. Cor.*
III. 16. cap. VI. 19. Salutaria item organa, per quæ pio-
 rum animæ bonum operatæ fuerunt in hac vita. *II. Cor.*
V. 10. Unde *Origenes* quem ob laborum & studiorum tole-
 rantiam *Adamantium* vocarunt prisca secula, *libro VIII.*
contra Celsum, *Rationalem* inquit, animam honorare didici-
 mus & hujus organa sepulchro honorificè demandare. Par-
 tim & præcipuè in spem futuræ resurrectionis. Hinc
Andreas Rivetus in *Gen. cap. XXIII. Exercit. CIX.* Hic
 fuit semper laudabilis mos apud homines, qui sensum omnem
 humanitatis non exuerunt, ut humana cadavera amoveren-
 tur à conspectu vivorum, quod etiam pertinuit ad politiam &
 honestatem communem: id præterea ab iis, qui altius conscen-
 debant, fuit consideratum, terræ esse mandanda corpora, quæ
 in terram erant redigenda; honorificè recondenda, quæ suo
 tempore ad vitam per resurrectionem erant revocanda. *B.*
Gerhardus loco citato, inter causas sepulturæ tertio loco
 ponit, Christi & Apostoli Pauli comparationem, quâ (verba
 Ejus, quia id merentur, adscribam) gravis in terram
 projectis corpora piè defunctorum ad confirmandam resur-
 rectionis spem conferunt *Job. XII. 24. I. Cor. XV. 37. & 38.*
 inde in linguâ nostrâ vernaculâ cœmeteria pulcerrimè vocan-
 tur

tur agri Dominici, in quibus scilicet corpora piorum velut quaedam grana in spem futurae messis seminantur. Rectè proinde Prudentius, poeta Christianissimus, spem resurrectionis causam esse, quare maxima cura sepulcris impendatur, tradit in Hymno funebri:

*Quidnam sibi saxa cavata, Nam quod requiescere corpus,
Quid pulchra volūt monumēta? Vacuum sine mente videmus:
Res quod nisi creditur illis; Spacium breve restat, ut alti
Non mortua, sed data somno. Repetant collegia sensus. &c.*

Nihil interim obesse existimandum est, futuræ corporum Resurrectioni, neque quicquam inde mali homini accidere, aut boni adimi, quocunque modo corpus demortuum tractetur, quacunque ratione destruatutur aut dissipetur. Sive projiciatur volucris & canibus in prædam, sive bestiis in Circo, ut intra sua viscera recondant, sive in usum nocturnarum tædarum uratur, quomodo sævierunt barbari & immanes Tyranni olim in Christianorum corpora, ut Martyrum & Persecutionum historias evolventi patebit. Nā, ut Tacianus libro cōtra gentes inquit, *Quamvis caro tota incendio absumatur, tamen materiā evaporatam mundus excipit, quamquam aut in fluviiis, aut in mari contabescam, aut à feris dilanier, condor tamen in penu locupletis Domini.* Et in eandem sententiam egregiè & fiduciā plenus jam ante laudatus Minutius Felix in Octavio; *Corpus omne, inquit, sive arefcit in pulverem, sive in humorem solvitur, vel in cinerem comprimitur, vel in nidorem tenuatur, subducitur nobis, sed DEO Elementorum custodia reservatur.* Vide si lubet Augustinum De Civit. DEI lib. 1. cap. 12. sive, qui in eundem librum Commentatus est Casp. Barthium Adversar. Commentar. Libro LX. cap. XII. Cæterum & aliæ sepulturæ suppetunt fines & utilitates; VIII.
Putat, ut corpus hominis, animalium nobilissimi, quoque
B inter

inter maxima rerum suarum nihil habet natura, quo magis
glorietur; (teste Seneca lib. VI. de beneficiis cap. XXII.) à vi-
lissimorū animantium laniatu immune præstetur. Hanc
que humationis causam à corporis præcellentia desum-
tam cæteris simpliciore esse statuit Hugo Grotius loco su-
pra allegato; sic enim inquit; *Simplicius est, cum homo cæ-
teris animantibus præstet, indignū visū si ejus corpore alia a-
nimantia pascerentur; quare inventam sepulturam, ut id
quantum posset, caveretur.* Huc respicit Cicero Christia-
nus, seu mavis Lactantius lib. VI. Institut. cap. 12. *Non pa-
tiemur, figuram & figmentum DEI feris ac volucribus in-
pradam jacere, sed reddamus id terræ, unde ortum est.* S. Am-
brosius Mediolanensium Episcopus, qui que solus hoc no-
mine dignus censebatur iudicio Theodosij, *de Tobia:*
*Nihil hoc officio præstantius ei conferre, qui jam tibi non potest
reddere: vindicare à volatilibus, vindicare à bestijs consortem
naturæ.* Et si vel maximè hæ abessent injuriæ, diffluere
tamen, proteri, ac omnibus conspicua exponi humana
membra, alienum videtur à naturæ nostræ dignitate. Unde
Ἰεῦμα τῷ ἡλίῳ ἑδάμῃ φίλον ἀποκρύπτου ἀνθρώπων ἱεσµῶ.
*Speſtaculum Soli nullo modo gratum, humana lege tegens &
occultans* vocat Svidas in voce ἀκνηδῆς. Hinc est, inquit
Grotius loco cit. quod officium sepeliendi, non tam homi-
ni, id est, personæ, quàm humanitati, id est, naturæ hu-
manæ præstari dicitur. Ad inventus quoque videtur mos
humana sepeliendi corpora; ut amoveantur à viventium
oculis cadavera, ne videant damna sua, quæ mœstitiam
animis inferunt, sed monumento condita clam & procul
à conspectu suorum tabescant Huc referenda esse censeo
verba *Abrahami* quibus Sarah, uxore sua, deliciis suis, mor-
tuâ, Filios Chet alloquitur *Gen. XXIII. 4. Date mihi posses-
sionem sepulchri, ut sepeliam mortuum meum* מַלְפָּנַי אֶפְרַי מֵעַי
mea.

IX.

X.

mea. Leniatur ita luctus eorum, inquit *Demosthenes in Orat. funebri*, qui suis sunt orbat. Unde quidam non tam defunctorum causa (quippè quibus sentientibus onus, non sentientibus, supervacaneum sit) sed vivorum gratia inventam esse sepelitionem statuunt. Et hoc est, quod dicit *Augustinus* vir sanctitate atque doctrinâ ad miraculum maximus, totiusque Occidentis lumen clarissimum. *libr. 1. de Civ. DEI cap. 12. & lib. de Cura pro mortuis cap. 2.* Curationem funeris, conditionem sepulturæ, pompas exequiarum magis esse vivorum solatia, quàm mortuorum præsidia. Adde, per sepulturam arceri horrorem & foetorem cadaverum, quem humanum corpus præ cæteris animalibus, post mortem exhalat teterrimum. Hinc *Chytræus* canit:

*Corpus inane animæ tandem foetore maligno
A se abigit cunctos.*

Denique accedit hæc ex humatione utilitas, quòd in alieno funere velut in quodam speculo conditionis & naturæ nostræ admonemur, unde etiam tumuli defunctorum monumenta dicuntur. Et *Sepultura humanae conditionis memoria*, *Modestino in l. quidam in suo ff. de Conditio. & instit.*

CAPUT II.

Sepulturam esse juris gentium, cujus etiam in bellis accurata ratio habita.

Corporum vitâ functorum Sepulturam, (quam *Humanitatem* Cicero *Orat. pro Quintio*, *Humanitatem & Mansuetudinem* Valerius *lib. V. cap. 1. Misericordiam & Religionem* Quintilianus *lib. XII. Instit. Orat. c. ult. Misericordiam & Humanitatem*

I.
Sepultura
est juris
gentium.

B 2

Huma

XI.

XII.

Humanitatem Seneca de Benef. lib. V. c. 20. *Misericordiam*
 & *Pietatem* Ulpianus l. At si quis. §. interdum, D. de fun.
 act. *Clementiam* Capitolinus in M. Antonio Philosoph.
diano seu justitiam Euripides, *Ultimum & maximum pietatis*
Officium Lactantius lib. VI. Inst. cap. 12. *Misericordiam* de-
 nique ipsa Sancta Pagina *Ruth. I. 8. II. Sam. II. 5. vocat*) ju-
 ris gentium esse, quod apud omnes gentes, vel certè ple-
 rasque, h. e. apud eas, quæ non sunt efferis omninò & in-
 cultis moribus; ut apud barbaras etiam nationes quadam-
 tenus obtineat, ut tradit *Petrus Faber Semestrium lib. II. c.*
1. p. 7. si aliundè non constaret, *Dionis Cbryostomi*, aucto-
 ris gravissimi autoritate moverer, ut existimarem. Hic
 enim in *Oratione* τῆς ἐθνεῶν disertis verbis humare mor-
 tuos inter mores sive ἐθνη, quæ τοῖς ἐγγυεῖσιν seu scripto juri
 opponit, refert. Per ἐθνη v. sive cōsvetudines jus gentiū non
 scriptū intelligit. *Romanus sapiens*, *Humū porrigere cadaveri*
inter jura non scripta sed omnibus scriptis certiora ponit *Libr.*
II. Controvers. *Socrates* summorum Oratorum magister
 (elogio *Ciceronis*) in *Panathenaico*, de bello agens Theba-
 norum cum Argivis *Adrastum* Argivorum regem intro-
 ducit asserentem; humare mortuos esse *morem antiquum*
 & *jus patrium*, quo omnes homines inter se utantur, quodq̄ non
 ab humano proditum ingenio, sed à divina potentia impera-
 tum videatur. Jura enim quò sanctiora videbantur, ho-
 minibus benè moratis communia, ad DEos referebant
 autores, observante *Grotio de jure Belli & Pacis lib. II. cap.*
XIX. n. 1. Eo etiam sensu capiendus est *Ariminius* vetus
 Poëta, quando inquit:

Humano generi posuit natura creatrix

Hanc legem, ut tumuli membra sepulta tegant.

Unde Naturæ id jus appellant *Philo & Josephus*. So-
 lent namque interdum sub naturæ nomine comprehen-
 di mores

di mores communes naturali rationi consentanei teste
Grotio loco dicto. Adeò favorabilem in jure esse sepultu-
ram in terrâ, inquit *Christophorus Besoldus Consider Politi-
tica de vita & morte lib. III. cap. 1.* ut si quis in testamento
suo quem instituat sub eâ conditione; *Si reliquias ejus ab-
jiciat in mare*: ea non debeat impleri. *l. 27. ff. de Condit.
institut.* Sanè humanitatis est, humare mortuos, hanc autè
naturæ lex imperat, Hominem ergò exuisse, naturæque
humanæ dedecus fecisse jure merito dicuntur *Scythæ* quo-
rum alij ut *Massageta, Derbices, Essedones* defunctorum cor-
pora pecudum carnibus immixta manducarunt, alij ab
arboribus suspenderunt. *Persæ*, quibus solemne fuit ca-
davera extra urbis mœnia elata in campo deponere, ut pa-
bula dent feris & volucris. *Æthiopum* nonnulli *Loto-
phagi & Ichthyophagi*, qui mortuos in mare præcipites de-
derunt. *Hyrçani, Bactrij*, qui canibus domi ad hoc nutri-
tis dilaniandos vitâ functos objecerunt. De quibus & a-
lijs barbaris immanitatibus suo loco plenius audiemus.
Barbaras hæc, plusquam barbaras gentes ipsa animantia
bruta humanitate (liceat ita loqui) superare videntur.
Sicut enim nullum est (verba sunt *Hugonis Grotij in notis ad
loc. paulò ante citatū*) *in homine factum laudabile, cujus non
vestigium in alio aliquo animantium genere DEus posuerit,
ita & in hac re evenit.* De apibus ita loquitur *Mantuanus
Homerus, lib. IV. Georg.*

— *Tum corpora luce carentum,*

Exportant tectis & tristia funera ducunt.

Idem de solerti Formicarū genere narrat hisq; solis ex
animantibus ratione carentibus tribuit *Plinius Naturæ Bi-
bliothecarius N.H. lib. XI. cap. 30.* quādo inquit: *Sepeliuntur
inter se viventium sola, præter hominem.* *Plutarchus* diser-
tissimus scriptor in lib. cui frons est: *Utrum animalia plus ra-*

tionis habeant, quàm aquatilia, testatur referente Kirchmanno Appendice ad lib. de Funer. Roman. cap. I. Formicas habere tres cavernulas & in illarum una comitium celebrari, in alteram penum annuam recondi, tertiam verò esse mortuorum cœmiterium. vide Franzij histor. Animalium parte V. cap. 8. Taceo Grues, Elephantos, Delphinos, de quibus consulendi Ælianus lib. II. de Animalibus cap. I. & lib. XII. cap. VI. jamque dictus Franzius Histor. animal. part. 1. cap. IV. & Petrus Faber Semestrium libr. III. c. 13. p. 177. Cæterum humanitatem, quæ circa mortuorum sepulturas exhibetur, non pacis solùm sed belli etiã tẽpore & inter arma commendatam maximè atq; cultam Veteribus narrant Historici. Unde jus sepeliendi trucidatorum in acie corpora κοινὸν ἐν τοῖς πολέμοις vocat Appianus, servarique inter hostes καὶ εἰς τὴν ἐχέτην ἔχθραν ἐγγέλωσι, etiamsi ad extrema odia processerint, tradit Dio Chrysostomus loco citato. Apud antiquissimos (Barthius narrat Lib. LIII. Advers. cap. 7.) sepulturæ honos non exiguus habebatur, adeò ut summæ contumeliæ loco ab infensissimis hostibus cadavera arcerentur sepulturâ, ut ex Homeri Heroum historia, Bello Polynicis & Etheoclis Thebano alijsque historijs antiquissimis notum est. Et in Claudian. de Bello Gild. v. 39. inquit; *Veteres contra jura humanitatis rebantur tumulum cæsis invidere.* Herculem illum monstrorum domitorem permisisse primum cadavera hostium sepeliri ex Æliano libr. XII. Variar. Historiar. cap. 27. probat Ludovicus Vives, Commentario ad Augustinum lib. 1. de Civit. Dei cap. XII. verum non hoc dicere Ælianum affirmat loco citat. & Lib. LX. adv. cap. XII. Cass. Barthius scilicet non, consuevisse bello cæsos humari ante Herculem, sed id velle victoribus non fuisse curam hostium sepeliendorum æ-

II.
Sepultura
in Bellis
accuratè
observata.


vo an-

vo antiquiore. Solebant autem eos qui in bello occubu-
erant vel ipsi victores suo pte impendio, in quibus bonita-
tis & humanitatis plus erat, terræ tradere, vel suis sub pa-
ctis occisorum corpora dare, ne careant eorum, quæ mos
imperat, honore ultimo, teste *Philone in Flaccum*. Hinc
factis inducijs per caduciatos sive legatos (qui ut *Petrus
Faber Semestrium lib. 11. cap. 1. ex Dione* probat, jure genti-
um sacro-sancti & inviolati etiam in hostibus sunt) ad se-
pulturam interfectorum *λειψανα* ab hostibus poscebantur,
nec ab illis, certè nisi contra fas, corpora ad humationem
petentibus denegabantur. Adeò ut obnegatam sepulturam
bellum justè suscipi censuerint veteres consensu magno,
ut ait *Grotius loco sæpius cit. num. V.* Exempla si postulas,
en Hannibal juratus licet Romano nomini hostis Caji
Flamminij, item Tiberij Gracchij, Marcellique devicto-
rum & obruncatorum Romanorum ducum corpora ad
funerandum quæsiuisse dicitur à *Livio* rei Romanæ facun-
dissimo & uberrimo scriptore *Decad. III. lib. 2.* Romanos
contra recuperata Urbe, quam Galli Senones, gens fortif-
sima, occupaverant, Gallorum ossa legisse & in media ur-
be tumulasse simul (quem locum *Busta Gallica* vulgus &
fama cognominavit) Romana prodit historia. Eandem
humanitatem *L. Cornelium* Consulem *Hannoni* Cartha-
ginensium duci præstitisse autor est *Valer. Maximus lib.
V. cap. 1.* Unde in laudem Romanorum scribit *Suidas in vo-
ce Α'κηδής*; *Romanini non neglexerunt hostes suos, nec passi sunt
ipso insepultos & exequiarum honore fraudatos jacere.* Hu-
jus consuetudinis Athenienses usque adeò tenaces fue-
runt, ut apud illos in duces, qui re alioqui præclarè gesta-
suorum tamen in acie peremptorum corpora non tumu-
lassent, capite animadversum legamus. Exemplum cape
ex

43

ex jam dicto *Valerio Maximo lib. IX. cap. VIII.* Hinc de Nicia Athenien-
sium duce fertur, quod omnem exercitum subsistere jussit, ut duos tan-
tum peremptos milites honore tumuli ac funeris afficeret; *Plutarch. in
vita ejus.* Cæteri etiam Græci quàm studiosè in prælijs cæсорum corpo-
ra sepeliverint, ex Historicis notum est. Apud Hebræos verò lege caveba-
tur ne hostem insepultum quidem relinquerent teste *Rhodigino Lect. Antiq.
Lib. XVII. c. 19.* Septentrionales nobisque viciniore populi prætereundi
mihi minimè sunt, quos ipsos etiam huic humanitati studuisse ex *Olao
Wormio Antiquitatum Danicarum* egregio vindice didici. Hic enim in
Monumentis Danicis quæ studiosissimè primus collegit, *lib. 1. cap. 6.* in
hunc modum scribit: *Si fors asperior ad hostes aut inimicos ipsos detrussisset &
quibus vita privati, tumulos apud ipso obtinebant. Hostilem namq; animum
post mortem deposuisse & hospitalem in cadaveribus tumulandis pietatem ex-
ercuisse, summa semper fuit laudis.* Inter alia exemplum hujus rei petit
ex *Saxone* cui *Grammatico* ab eruditione reconditâ receptū est nomen, il-
lustri & facundissimo, (quod ævo illo, quo vixit, vix sperasses, vixit au-
tem circa annum Christianum 1200) *Danorum Historico*, qui *Historia
sua lib. III.* introducit *Collerum*, hostem suum *Horvendillum*, quo cum
in arenam descendere pugnamque inire animus erat, oratione sanè ele-
ganti alloquentem, quam subjicio: *Quoniam exitus in dubio manet, invi-
cem humanitati deferendum est, nec adeò ingeniis indulgendum, ut extre-
ma negligantur officia, Odium in animis est, adsit tamen pietas quæ rigori demū op-
portuna succedat. Nam etsi mentiū nos discrimina separant, natura tamen jura
conciliant. Horum quippe consortio jungimur, quantuscunq; animo livor dissoci-
et. Hic itaq; pietatis nobis conditio sit, ut victū victor exsequiis prosequatur. Hi-
is, suprema humanitatis officia inesse constat, quæ nemo pius abhorruit. Utraq; a-
cies id munus, rigore deposito concorditer exequatur, Facesset post fatum livor,
simultasq; funere sopiatur. Absit nobis tanta crudelitatis specimen, ut quamquam
viviis odium intercesserit, alter alterius cineres persequamur. Gloriosum victori
erit, si victi funus magnificè duxerit. Nam qui defuncto hosti justa persolverit,
superstitis sibi favorem adsciscit, vivumq; beneficiis vincit, quisquis extincto
studium humanitatis impendet. In eandem sententiam *Optatus Milevitanae
contra Donatistas Catholicorum corpora sepeliri vetantes lib. 6. contra
Parmen:* loquitur, quæ verba adjiciam sic *Caput hoc finiturus: Ut terra-
tis vivos, malè tractatis & mortuos, negantes funeribus locū. Si inter viventes
fuerat certamen, odia vestra vel mors aliena compescat. Jam tacet, cum quo
paulò antè litigabas, quid insultas funeri? quid impedis sepulturam? quid cum
mortuis litigas? perdidisti malicia tua fructum.**






X 2615918

VJ 17





TURA

CRUM.

RITIBUS SE-
RALIBUS,

, Græcorum,
Christianorum,

IO PRIMA,

M. A.

DREA QVENSTEDT.
LOSOPH. ADJUNCTO,

andam proponit
NIGIUS, Lipsiensis.

horis antemeridian.
o minori.

BERGÆ,
JOHANNIS HAKEN.

OC. XLVII.

u. 41.
24

22

23

Achilles Hüpka Mr.
No. 1659. m. Jan.